

PSALMUS XX.

EXPLICATIO VERSUS I.

לִמְנַחֵהּ:) vid. *Pfal. IV, 1.*

מוֹזְמֵר *canticum:*) continens nempe vota populi, pro Rege bellum adornante, fortè contra Ammonitas 2. *Sam. X, 6. 18. 1. Par. xix.* nunquam enim numerosior Davidi fuit hostis. Huc illud de curribus in Psalmo nostro, *vers. 8.* quales in illo exercitu, 2. *Sam. x, 6.* ita *Muis. Möller. &c. A vers. 1. ad 7.* verba sunt populi in congregatione solenni, & rege simul præsentè (qua de causâ dicunt: *exaudiat te*, non regem nostrum,) vel ad bellum exeunte jam, orantis pro expeditione, quam parabat rex. *A vers. 7. ad 10.* Rex respondet, Deo gratias agens, suaque simul vota cum populi precibus jungens: vid. *Scalig. lib. 1. epl. 13. pag. 90.*

לְרוּרֵי *Davidi vel super Davidem:*) in gratiam Davidis, sicut *Pfal. LXXII, 1: לְשִׁלְמָה*. adeoque per cantorem forte est compositus; ita *Muis.* Vel potius ipse David est autor ita, ut populo formulam hanc publicè pro rege suo orandi præscripserit.

EXPLICATIO VERSUS II.

יַעֲנֵךְ *exaudiat te:*) nempe Davidem Messiam suum ex *vers. 7.* Radix est עָנָה *respondit*, & quidem ad placitum, h. e. exaudivit, *Pfal. xiii, 4.* Deinde futurum *respondebit tibi*, vim habet modi optativi, ceu *Cant. 1, 2. יִשְׁקֵנִי* osculetur me: *Job. III, 2. יִמָּוֵת יְאֵבֶר* pereat dies, &c. *Pf. xix, 15. יִדְוּ* fiant.

בְּיוֹם *in die:*) h. e. tempore, sive, quodcumque in angustiis es constitutus. Similis synecdoche partis *Pfal. xviii, 1, 19. Pfal. CII, 12. &c.*

צָרָה *angustia:*) i. e. miseriarum, undique, cor hominemque totum veluti constringentium, ita ut nullibi relinquatur evadendi rima. Sic enim צָר est aliquem validè comprimere, obsidere, circumligare; vide *Pfal. ix, 10. x, 1.* Tales vero angustia circumvallant etiam reges principesque, in potestate summa constitutos, tum belli, tum pacis tempore, quando periculis occurrantibus, sive domesticis, sive publicis, non habent, quod opponant.

יִשְׁבֹּרֵךְ *exaltet te:*) h. e. superiorem ac inexpugnabilem te faciat cunctis tuis hostibus ac miseris, te aliàs impetentibus, ne ad te, in præalto ac inaccesso velut loco constitutum, possint pertingere, sed re infectâ cum pudore ac damno cogantur reverti. Sic שָׁבַר *Deut. II, 36.* non ulla urbs מִמֶּנּוּ שָׁבַר *superior fuit nobis*, h. e. inexpugnabilis fuit. huc *Prov. xviii, 10: turre &c. וְשִׁבְרָה*. item *Jes. xxvi, 5: urbs נִשְׁבַּר &c. xxx, 13. murus נִשְׁבַּר*. In piel est *exaltare*, in locum tutum montemve celsum collocare: *Pfal. LIX, 2. præ hostibus הִשְׁבַּרְנִי*. *Pfal. LXIX, 30. salus tua הִשְׁבַּרְנִי*. *Pfal. xci, 14. אֲשִׁבְרוּ*. Sic *Pfal. cvii, 41. & Jes. ix, 10.* (præterea in piel non extat.) Huc nomen מִשְׁבֵּר *locus altus*, *Pfal. ix, 10.*

שֵׁם *nomen:*) h. e. ipse Deus celeberrimus nominatissimusque, qui appellatur Deus Jacob. Sic enim per metonymiam adjuncti sapius nomen rei ponitur pro re ipsâ, vel pro persona nuncupata; ut *Deut. xxviii, 58.* ad timendum nomen illud (i. e. Jeh.) sic *Pfal. cxv, 1. Jes. xxx, 27. &c.*

יַעֲקֹב *Jacobi:*) h. e. Jacobigenarum, i. e. illius Dei, qui inter Israëlitas solos, juxta verbum ab ipsomet patefactum colitur *Pfal. cxlvii, 19. 20.*

A annuntians statuta sua Jacobo, &c. (ubi similis metonymia causæ, qualis h. l. posito nimirum patre Jacobo, pro filiis, ex Jacobo progenitis.) Vel respicit Patriarcham ipsum, quippe qui majores præ Abrahamo & Isâaco expertus est difficultates. *Muis.*

EXPLICATIO VERSUS III.

עֲזָרְךָ *auxilium tuum:*) h. e. tibi necessarium ac salutare. affixum enim non efficientem salutis, sed subjectum recipiens h. l. designat, ceu *Pfal. xxii, 20. לְעֲזָרְתִּי* ad auxilium meum: h. e. mihi exhibendum, mihi que vehementer necessarium.

מִקְדָּשׁ *sanctitate:*) h. e. è sancto illo templi vel tabernaculi palatio, quod Deus peculiariter ceu regiam incolit, in quo solo vult adorari, è quo etiam, tanquam rex supplicem exaudiens mittere vult auxilium, &c. vide *Pfal. xiv, 7: (quis ex Sion.)* Ponitur autem abstractum *sanctitas* pro concreto, i. e. loco sancto vel sanctuario; ceu mox declaratur per *Zionem*. Posses etiam ex *v. 7.* supplere cælos: nimirum tam in cælis, quam in templo Deus habitat peculiariter, sive adest peculiari præsentia modo, indeque solum vult expecti sperarique omne auxilium nostrum.

מִצִּיּוֹן *è Sione:*) h. e. è tabernaculo, quod tempore Davidis translatum erat in montem Zion, 2. *Sam. VI, 12.* postmodum vero extracto templo, deferebatur in montem vicinum Moria 1. *Reg. VIII, 1. seq.* Zion ergò hoc loco ponitur pro arca vel sede Dei sanctâ, in monte Sion tunc constitutâ. Uti verò nuper voce *Jacobi* descripserat Deum à subjectis colentibus, ita nunc à loco cultus.

יִסְעֶדְךָ *fulciat te:*) h. e. instruat te ope suâ viribusque, tum internis, (quâ corpus, quâ animum,) tum externis, h. est præsidio angelico aliisque subsidiis, contra incursum quoslibet hostiles, ruinam tibi alioqui minitantes satis valentibus. יִסְעֶד *enim est aliquem labascentem fulcire: Pfal. xviii, 36.*

EXPLICATIO VERSUS IV.

C זִכְרֵךְ *recordetur:*) nempe gratiosè & cum effectu: h. e. non negligat tuas preces, instar regis obliviosi, non recordantis libelli supplicis, sed semper in conspectu suo habeat tuas oblationes, tam constanter ac multipliciter hætenus à te oblatas, &c. Sic *Recordatio* per ἀνθρόπον. Deo tribuitur, ad exprimendum benevolam ipsius affectum, perennemque piorum intuitum ac curam. *Pfal. VIII, 5. CXV, 12. Pfal. cxxxvi, 23. &c.* Huc, quod suffimentum, quale sacrificiis adjunctum semper, dicebatur זִכְרֵךְ *recordatio*. *Levit. II, 2. &c.* Sicut verò Caini oblatio parum placens, memoriam quoque offerenti conciliabat parum proficuum; sic è diverso Davidis cultui felicior exoptabatur successus, ut memor ejusdem gratiosè semper velit esse Excelsus.

מִנְחֹתֶיךָ *munerum tuorum:*) Levitico nempe more unâ cum precibus in honorem Dei oblatorum. Est autem מִנְחָה (à rad. Arabibus adhuc usitata מִנָּה *donavit*), propriè oblatio qualiscunque, in specie verò ecclesiastica vel sacra, è rebus inanimatis, v. g. farinâ, placentis, oleo, thure, &c. qua ratione thuris gratum edebat odorem. vide